



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Spiridion 12. Decembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

semper in mente habere. Omnes res creatæ alliciunt ad amorem Creatoris, cùm considerantur ut effectus erga nos divinæ bonitatis, & imagines perfectionum Dei. Cœlum, terra, sol, planetæ, omnia demum enarrant gloriam ejus. *assuesce eorum vocibus & à rebus creatis ascende ad creatorem, qui sanè longè pulchrior est, quàm omnia quæ vides.* Aug.

## S. SPIRIDION

12. Decembr.

*Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam machatus est eam in corde suo.*

Christus Luc. cap 5.

**S**piridion ex opilione Cypri Episcopus non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum emeret. Alio item tempore cùm avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset. Spiridion huic disertis verbis in crastinum Annanam spopondit. Neque aliter factum quàm dictum Aqua um alluvio auctum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In

fures



fures etiam non minus beneficus quàm comis fuit: Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, & arcana Numinis vis ligatos omnes Spiridioni tradidisset, exsolvit hic officiosus & viæ comitem abeuntibus ultro ambulare arietem iussit. Porro filiam, quàm, dum olim in matrimonio ageret, mors sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cœlo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, deniq; canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, postquam illum laudibus omnis ætatis homines maectaturi essent. Tu etiam discere hic non senes modo, sed Juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

### MEDITATIO.

#### *De pravis Cogitationibus.*

I. **C**Ave tibi à triplici cogitationum genere: ab iis, quæ animum avocant ab oratione; etenim tantùm abest, ut, qui per orationem alienas cogitationes admittit, peccatorum veniam impetret, ut novis potiùs peccatis obstringatur. Actibus fidei frænatur  
animus



animus meditantis, & præposteræ cogitationes dissipantur. Deus te videt, audit preces tuas, nec abibis impunè, si vagari animum facilè passus fueris.

2. Cave tibi à cogitationibus, quæ castitati adversantur: eò periculosiores sunt, quò blandiùs in animum nostrum irrepunt, ac oblatâ voluptate delinunt, vel uno momento gravissimum scelus admittere possumus. Cave inquam: mentem aliò diverte; mortem meditare, judicium, infernum. Ideò his molestis cogitationibus vexaris, quòd pluribus quàm par est rebus tum aures, tum oculi tui pareant, quibus tanquam fenestris, mors intrat.

3. Dæmon nonnunquam suggerit dubia circa fidem sanè periculosissima, morte præsertim imminente, at dissipantur humilitate, & oratione. Fides est donum dei, quod Christiano eripi nequit, si imploret auxilium ejus, à quo accepit. Si tamen orationibus tuis molestas cogitationes adversus fidem abigere minùs possis, adhibe repetitos fidei actus, & quò difficilius investigare te videris, eo reverentiùs admireris. Eul.

## S. LUCIA V. & M.

13. Decembr.

*In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Joan. i. Epist. c. 4.

Si